

tur, ut cum Dominus gloria crucifixus. 1. Corinth. 2, 8. Autor vite interfectus. Act. 3. 15. legitur: Cum in symbolo Apostolico Filius Dei de Spiritu Sancto conceptus, ex Maria natus, sub Pilato passus, crucifixus, mortuus, sepultus &c: esse perhibetur.

86. Hujus generis tria sunt κριτήρια: 1. Concretivas duntaxat recipit locutiones: 2. Reciprocam predicationis alternationem habet: ut: Filius Dei natus ex semine David: & semen David est ab eterno: 3. Explicatio fit κατ' ἄλλο: ut cum Apostolus inquit, Filium Dei natum esse ex femine David, secundum carnem: Vbi τὸ Νάσι, proprietas est humane nature conveniens: hac divine nature tribuitur, sed in concreto, addita declarationis sive determinationis particula secundum Carnem.

87. Cujus tamen distinctiva particula, ut & id genus aliarum, non is est sensus, uti Sacramentarij somniant, ac si proprietas illa, quae de altera natura predicatur, soli illi nature, cujus est propria, verè tribuatur, alteri vero κατ' ἄλλο, hoc est, verbaliter duntaxat & nominatenus conveniat: ut hic sit sensus presentis Aphorismi Apostolici, Filius Dei natus ex semine David, secundum carnem; id est: Humana natura, quae est unita Filio DEI, ex semine David est nata. Qua ratione Nestorianismo porta panderentur bipaentes.

Sed